

minationem, quod tamen falsum est. Respondetur ergo negando assumptum, est enim de essentia fidei infusæ, ut nitatur divina auctoritate credita, et non evidenter cognita per ipsam revelationem. Unde, quamvis fortasse fides non necessario excludat cognitionem evidentem Dei testificantis, a subjecto seu persona credente, et præsertim quando evidentia illa est inferioris ordinis, sumpta ex aliquibus naturalibus signis vel effectibus, tamen necessario excludit evidentiam ab ipso assensu, et medio, quo divino testimonio fidem præbet; est enim de ratione assensus fidei, ut ita sit certus, ut tamen ejus certitudo non fundetur in evidentia, sed in solo divino testimonio credito, et obscure cognito; at vero hæc cognitio scientiæ infusæ est in se evidens supernaturali claritate et evidentia, orta ex ipsomet lumine talis scientiæ, in qua certitudo iudicii et assensus ejus fundatur; et ideo talis cognitio non est fidei, sed perfectioris rationis supernaturalis, et dicitur scientia, quia est in se evidens et certa.

13. *Dubium.* — *Responsio.* — *Deus animæ quomodo loquatur.* — *Evidentia Dei testificantis quomodo haberi possit.* — Sed occurrit secunda difficultas, quomodo fieri possit ut intellectus habeat supernaturalem evidentiam Dei testificantis per cognitionem, quæ non sit clara visio ipsius Dei. Respondetur: ad hoc intelligendum duo oportet explicare: alterum est, quomodo Deus interior loquatur intellectui, non ostendendo clare et intuitive se ipsum, neque rem de qua loquitur; est enim hoc obscurum, cum Deus non loquatur per signa aut verba ad placitum significantia, sed solum per conceptus intellectuales naturaliter representantes; quod tamen sæpe hoc modo loquatur, dubitari non potest; per hujusmodi enim locutionis modum revelavit Angelis fidem, cum eos creavit, et fortasse etiam Adæ, et aliquibus Prophetis. Potest autem hoc ita explicari, quod Deus interior loquatur, formando in intellectu conceptum, seu actualem apprehensionem illius rei quam manifestare vult, quod facere potest, vel dando species novas, vel movendo intellectum talibus speciebus informatum ad formandam talem rei conceptionem, potius quam aliam, ut, verbi gratia, ad concipiendum Deum ut trinum et unum, vel quippiam simile. Sed tunc oportet alterum explicare, scilicet, quomodo cum Deus ita loquitur, possit evidenter ostendere se esse qui loquitur, non manifestando clare se ipsum; quod hoc modo intelligi potest,

quia, cum Deus animæ loquitur, potest simul dare vim, et lumen supernaturale ad intuentum, et quidditative cognoscendum quæ et qualis sit illa locutio; ex quo evidenter intelligitur, illam esse talis rationis, ut non possit esse nisi a Deo ipso immutante intellectum. Exemplis explicari potest, primo, in supernaturalibus; nam si quis evidenter videat actum vel habitum fidei infusæ, et quidditative illum cognoscat, clare videbit illum esse entitatem supernaturalem, quæ ab alio quam a Deo esse non potest. Secundo, ex rebus humanis; nam si satis perspectam habeam vocem alicujus, illa audita, evidenter intelligam eum esse qui loquitur, quamvis personam non videam. Sic ergo intelligitur Deus habere proprium modum loquendi, seu supernaturaliter immutandi intellectum; sicut enim proprium est Dei illabi menti, ita habere potest proprium modum loquendi illi, quo modo clare evidenter cognito, et ut facile divino lumine cognosci potest, evidenter constabit eodem lumine, Deum esse qui loquitur, et consequenter erit evidens ita rem se habere, sicut mente concipitur seu auditur.

14. *Objectio.* — *Responsio.* — Sed tunc est tertia difficultas, quia hujusmodi cognitio imperfecta videtur, et superflua animæ Christi, quæ omnia videbat in Verbo. Quid enim attinet, per testimonium etiam evidens audire, aliquid esse futurum, quod quis clare videt prout in se futurum est? Respondetur hunc modum cognitionis posse dici imperfectum *negative*, id est minus perfectum quam sit ipsa visio intuitiva; non tamen *privative*, quia nullam majorem perfectionem excludit, et in suo genere perfectionem magnam continet; includit enim distinctam cognitionem rerum singularium quæ futuræ sunt, et eo modo quo futuræ sunt, et continet etiam aliquam evidentiam illius veritatis, scilicet, quod tales res futuræ sunt. At proinde non est ita imperfectus hic modus cognoscendi, ut Christo repugnet. Superfluum autem erit, si prior est possibilis, nam sufficit unus modus cognoscendi hæc futura in proprio genere, ille autem erit per simplicem eorum intuitionem, si possibilis est; si autem talis intuitio non esset possibilis, vel non esset data animæ Christi, altera revelatio non esset superflua, nam talis cognitio ad plura esset utilis, scilicet, ad perfectam prudentiam et providentiam, et alia quæ supra dicta sunt.

15. Ex his, quæ de futuris dicta sunt, in-

telligi potest quomodo per hanc scientiam cognoscat anima Christi res præteritas tali tempore et modo fuisse. Dupliciter enim potest hujusmodi præteritum cognosci. Uno modo, per modum memoriæ relictæ ex præcedenti cognitione. Et hic modus in præsentia difficultate primum non potest esse universalis, quia non omnia præterita actu fuerunt cognita vel considerata ab anima Christi, quando fuerunt præsentia, quod in iis præsertim, quæ fuerunt antequam illa anima crearetur, est manifestissimum, et deinde hic motus memoriæ (ut ego opinor) non pertinet pure ad scientiam infusam, ut sic. Necessarium est enim ut quis possit recordari præteritorum ex vi præcedentis cognitionis, ut ex illa aliquid in memoria relictum sit, quod sit principium illius recordationis, et quoad hoc miscetur aliquid scientiæ acquisitæ, seu experientiæ, saltem intellectualis, quamvis illud, quod per hanc memoriam acquiritur, possit esse supernaturale, si a supernaturali actu relictum sit. Alio ergo modo potest præteritum cognosci in se, vel in sua causa, ex vi solius luminis, et specierum infusarum, et hoc modo existimo, eandem esse rationem in cognoscendis præteritis effectibus liberis seu contingentibus, quæ est in futuris, et ita non minus pertinet ad donum prophetiæ hæc quam illa. Et ratio est, quia postquam res præterit, jam non magis habet esse quam res futura, et sicut propositio de præterito est determinate vera, quia res aliquando jam fuit, ita propositio de futuro est etiam determinate vera, quia res aliquando erit. Cognovit ergo anima Christi hæc præterita altero ex duobus modis quibus diximus cognovisse futura; qui facile possunt applicari, servata proportione; et posterior videtur universalior, nam quod mundus, verbi gratia, tali die inceperit, cum ex sola Dei voluntate dependerit, non videtur posse in se intuitive videri per solam scientiam infusam, qua non videtur ipsa voluntas Dei. Et ideo, saltem in hujusmodi effectibus videtur necessaria evidentia testificantis.

SECTIO III.

Utrum res supernaturales seu mysteria gratiæ contineantur sub objecto hujus scientiæ.

1. In hac re explicanda fere nulla est difficultas, nam propter has res cognoscendas videtur præsertim posita hæc scientia, unde il-

læ videntur esse quasi objectum maxime proprium et accommodatum tali scientiæ.

2. Dicendum est ergo cognovisse animam Christi per hanc scientiam quidditative et intuitive, res creatas supernaturales in substantia aut modo suo, per proprias earum species, et in proprio genere. Ita sentit D. Thom. hic, et Doctores, in 3, d. 14, neque in hoc invenio contradicentem; et ratio est, quia istæ res sunt finitæ perfectionis; ergo possunt repræsentari prout in se sunt, per species creatas ejusdem ordinis; ergo possunt etiam lumine finito ejusdem ordinis clare et quidditative cognosci; ergo potuit communicari animæ Christi hujusmodi scientia harum rerum; ergo communicata est. Probatur hæc ultima consequentia. Primo, quia (ut ostensum est) decuit ut hæc omnia perfecte cognosceret, non tantum in Verbo, sed etiam in proprio genere. Secundo, quia cum ipse sit auctor gratiæ et supernaturalium mysteriorum, debuit habere perfectam scientiam eorum. Tertio, quia lumen hujus scientiæ fuit superioris ordinis (ut supra dictum est), et habuit species intelligibiles proportionatas; ergo.

3. *Prima objectio.* — *Responsio.* — Sed objiciet primo aliquis de gratiæ, quæ essentialiter est participatio quædam divinæ naturæ, unde non videtur posse quidditative cognosci, nisi cognita eodem modo divina natura, quod non fit nisi per beatam visionem. Respondetur tamen negando consequentiam, quia etiam omne ens est participatio primi entis, et omnis intellectus creatus est participatio increati intellectus, et tamen possunt in proprio genere cognosci; dicitur ergo gratiæ participatio divinæ naturæ, non quia ejus essentia consistat in aliqua habitudine divinæ naturæ, ut ratione illius habitudinis cognosci non possit sine clara cognitione divinæ naturæ, sed vel quia a divina natura, ut a propria causa efficiente et exemplari procedit; vel simul etiam quia majorem quamdam similitudinem, et singularem convenientiam habet cum divina natura, quia est superioris et divini ordinis. Sicut lumen solis est participatio lucis, et tamen videri et cognosci potest non visa luce.

4. *Secunda objectio.* — *Responsio.* — Secundo tamen objici aut quæri potest de ipsa visione beata, quæ res est creata et supernaturalis, et tamen videri non potest per hanc scientiam, sed solum per visionem Dei, atque adeo se ipsa; quia, cum essentialiter terminetur ad Deum ut præsentem, non videtur

posse exacte cognosci, nisi illo actu quo simul videatur Deus. Respondetur sermonem esse posse, vel de visionibus aliorum beatorum, vel de propria visione ipsius animæ Christi. Primo ergo, quoad visiones aliorum, probabile mihi videtur potuisse in proprio genere cognosci per hanc scientiam per proprias species, atque adeo per propriam cognitionem, distinctam a visione ipsius Dei. Cum enim illa visio sit qualitas creata, distincta a Deo, et in se finita, nihil repugnat in se ipsa videri et cognosci per propriam speciem et

cognitionem, distinctam a cognitione Dei, quia, licet illa visio habeat quamdam habitudinem transcendentalem ad Deum, non propterea necesse est videri clare Deum ad videndam hanc visionem et habitudinem ejus; satis enim erit quasi abstractivè cognosci in illa, et per illam, Deum ipsum, cum Deus solum sit terminus quasi extrinsecus illius habitudinis.

5. *Objectio.* — *Responsio.* — Dices: illa visio est similitudo Dei, et representat illum; ergo, visa illa, necessarium est in illa videri Deum. Respondetur negando consequentiam, quia illa visio non est similitudo objectiva, sed solum est ratio cognoscendi, informans intellectum; unde, licet objective cognoscatur, si tamen ipsa non informat intellectum, non constituit videntem; unde non est necesse videre Deum, prout in se est; sicut potest clare videri aliqua species intelligibilis, non clare visa re quam representat; vel sicut actus charitatis, quamvis tendat in Deum, ut in se est, videri tamen potest, non viso Deo; idem majori ratione dicendum est de habitu, vel de ipso lumine gloriæ, quod non tam proxime et actualiter respicit Deum, sicut ipsa visio.

6. Secundo, quoad propriam visionem ipsiusmet animæ Christi, dicendum est non fuisse necessarium alium actum, sed per ipsummet, illum clare cognoscere et intueri, quia ille actus est perfectissimus, et maxime immaterialis, et in se ipsum reflectitur; sicut etiam non videtur ille actus per speciem intelligibilem a se distinctam, sed se ipso. Possumus tamen distinguere illum actum, vel quatenus directe terminatur ad Verbum, vel quatenus quasi concomitanter est visio sui ipsius; nam sub hac secunda ratione est cognitio sui, non in Verbo, sed in se ipso; et sub hac ratione dici potest quodam modo visio sui in proprio genere. Unde est etiam probabile, per illam visionem posse ad eundem modum videri visiones aliorum beatorum; quia et habent

inter se magnam similitudinem, et illa visio, cum sit altioris ordinis, videtur habere vim, ut per idem principium cognoscat et se ipsam, et rationem suam specificam, et reliqua individua sub illa contenta. Probabilior tamen videtur prior modus, et ad intelligendum facilius.

7. *Dubium.* — *Responsio.* — Tertio tandem quæret aliquis de mysterio incarnationis, an cadat etiam sub objectum hujus scientiæ, et possit per illam cognosci. Et quidem, si loquamur de mysterio, ut includit totum integrum

terminum suum, sic certum est non posse clare videri aut sciri per hanc scientiam, nam includit ipsam personam Verbi, quæ non nisi per visionem beatam videri potest. Difficultas ergo solum potest esse de modo unionis, qui est in humanitate, an possit per hanc scientiam clare videri; videtur enim non posse, tum quia est quasi actualis inexistencia, et adhæsiō humanitatis ad Verbum; non ergo videri potest nisi in Verbo; tum etiam quia est superioris ordinis quam gratia vel omnes res aliæ supernaturales. Nihilominus probabilius videtur, etiam hunc modum contineri sub objecto hujus scientiæ, quia simpliciter est res creata; et ideo non repugnat cognosci per scientiam in proprio genere. Deinde, quia sicut hic modus est actualis conjunctio cum Verbo, ita visio est actualis conjunctio in suo ordine cum Deo; et respectu utriusque Verbum seu Deus se habet ut terminus cujusdam habitudinis transcendentalis; ergo est eadem ratio de utroque. Denique non videtur repugnare ut videatur clare aliquod accidens, et modus inhærentiæ ejus, non videndo clare subjectum cui inhæret; sic ergo esse potest in proposito. Verum est tamen hæc omnia, quæ dicunt intrinsecam habitudinem ad Deum, prout in se est, non ita exacte et perfecte cognosci, quantum ex parte sua cognosci possunt, extra visionem claram ipsius Dei; quia habitudo ad aliquem terminum tanto perfectius cognoscitur, cæteris paribus, quanto et ipse terminus perfectius videtur; et ideo, licet hæc omnia videri possint, et quidditative cognosci per hanc scientiam, non tamen comprehensive. Et in hoc potest constitui differentia inter quem habet corpus Christi in Eucharistia; hic enim, cum sit quasi absolutus, et non pendens, per se loquendo, in suo esse, vel in cognitione, a divina persona tanquam a termino, potest per hanc scientiam, non solum videri prout in se est, sed etiam comprehendi.

Et ex his facile judicari potest de aliis supernaturalibus rebus, seu mysteriis creatis.

SECTIO IV.

Utrum omnes effectus possibles divinæ omnipotentiae cadant sub hanc scientiam.

1. Pars negativa hujus quæstionis, quamvis non expresse dicatur, videtur tamen supponi a D. Thoma, Cajetano, et aliis hoc loco; Durando, Richardo, et aliis, d. 14; Marsil., et aliis; scilicet, quia si Christus non cognovisset plura per scientiam infusam quam per beatam; et Augustinus ubique significat scientiam *matutinam* et *vesperinam* circa easdem res versari. Et probari potest, quia videtur impossibile, scientiam finitam hæc omnia possible actu sub se comprehendere. Primo, quia oporteret lumen talis scientiæ habere infinitum augmentum intensionis; probo, quia illud lumen non ex vi solius perfectionis specificæ et indivisibilis extenditur ad omnia illa objecta, tum quia est qualitas quædam intensibilis, et remissibilis; ergo, quo fuerit perfectior vel minus perfecta, eo poterit ad plura vel pauciora objecta extendi; tum etiam quia alias quicumque haberet lumen talis speciei, cognoscere posset hæc omnia possible; ergo potest dari lumen hujus scientiæ tam parvum seu remissum, ut non se extendat ad cognoscendos omnes effectus possible; ergo illud lumen sufficet ad tot effectus cognoscendos, et non plures; ergo, ut se extendat ad plures, necesse est augeri seu intendi; ergo, ut extendatur ad omnes possible, necesse est ut augmentum ejus in infinitum simpliciter procedat, persistendo. semper intra eandem speciem scientiæ et luminis; atque adeo, si anima Christi jam habet totum hoc lumen, necesse est esse infinitum.

2. Quod si dicatur hoc lumen, qualecunque sit, de se sufficere ad omnia hæc possible cognoscenda, si omnium habeat species, sicut lumen intellectus sufficit ad omnia naturalia, contra hoc fere eodem modo objici potest, quia oportebit, ad representandas omnes res possible, infinitas species intelligibiles infundi, quia non possunt res tam variæ, tamque diversæ, quæ non in uno aliquo objecto superiori, sed in se ipsis representantur, per unam speciem, nec per finitum numerum specierum representari. Et augeatur difficultas, quia si Christus per hanc scientiam cognosceret hæc omnia, comprehenderet essentiam Dei, quandoquidem co-

gnoscit totum ejus objectum, illudque comprehendit. Quod confirmatur, quia multi sunt effectus possible, qui pendent ex sola efficacia divinæ omnipotentiae, et in creaturis nihil supponunt, præter non repugnantiam, seu obedientialem potentiam.

3. Contrariam sententiam tueri videntur Magister, Alexand. Alens., et alii, qui dicunt animam Christi habuisse scientiam horum omnium possible. Non enim hoc limitant ad scientiam beatam, et videtur multo verisimilius, hæc scientiam infusam; quia, quod per hanc scientiam hæc omnia cognoscantur, nullam involvit repugnantiam; non est ergo hæc perfectio animæ Christi neganda, cum alioquin consentanea videatur his qui in Scriptura et Patribus dicuntur de Christo, scilicet, quod omnia cognoscat, et quod in eo sint *omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei*, et similia; quia hoc modo tota capacitas intellectus Christi, tam naturalis quam obedientialis, verius dicitur habere actum suum perfectum et adæquatum. Antecedens autem ostenditur, quia imprimis ex hac scientia non sequitur comprehensio Dei, seu divinæ omnipotentiae, quia per hanc scientiam non videtur Deus, prout est in se; sed ad summum per effectus suos a posteriori cognoscitur, ut sequenti sectione dicam; et ideo per hanc scientiam comprehendi non poterit. Neque etiam per visionem beatam, quia illa non perficitur in se, propter conjunctionem hujus scientiæ, sed concomitanter solum se habet, et si una perficeret aliam, potius scientia beata perficeret infusam, quam e contrario, quia hæc est inferior. Et ratio est clara, quia per hanc scientiam non videtur effectus Dei in Deo, sed in proprio genere; et ideo ex sola cognitione ipsorum effectuum non augetur visio Dei in se; et ideo non comprehenditur. Deinde nec ad hanc scientiam requiritur infinita intensio ex parte luminis, sed idem lumen indivisibile ex vi suæ speciei potest intelligi ad hoc sufficiens, ut bene, referendo primam opinionem, responsum est. Et confirmari potest, nam datur lumen quod ex vi suæ speciei in quocumque gradu sufficet ad videndum Deum prout in se est; cur ergo non poterit dari sufficiens ad videndam collectionem omnium creaturarum possible, quæ ipso Deo inferior est? Item datur lumen supernaturale quod ex vi suæ speciei sufficit ad credendum omnia revelabilia a Deo, et si de facto revelarentur omnia, per idem lumen omnia crederentur; ergo potest etiam infundi lumen

scientiæ sufficiens ad omnia scibilia, quæ continentur in potentia Dei. Denique neque infinita multitudo specierum intelligibilium est ad hoc necessaria, quia potest una species intelligibilis esse principium cognoscendi res infinitas numero, vel specie differentes sub aliquo certo genere, ut in speciebus angelicis frequentius docent Theologi; ergo, cum gradus et genera rerum sint finita, poterunt per finitas species repræsentari. Quin imo non videtur impossibile, unam solam speciem intelligibilem repræsentare omnes creaturas possibles, quia (ut probabilis opinio) potest dari species creata repræsentans Deum, prout in se est; sed magis est repræsentare Deum quam omnes creaturas; ergo. Adde, posse Deum, sine speciebus inhaerentibus, supplere per potentiam suam earum necessitatem et efficacitatem; ergo hoc etiam modo posset elevare animam Christi ad cognitionem omnium extra Verbum.

4. *Anima Christi non habuit scientiam infusam omnium creaturarum possibilium.* — In hac re nihil certum definire possum; fateor tamen nullam esse efficacem aut valde probabilem rationem, quæ ostendat hujusmodi scientiam non posse communicari creaturæ per lumen aliquod superioris ordinis, et per species perfectas et valde universales, ut argumenta secundo loco facta satis probare videntur; et plane ita sentit D. Thom., q. 26 de Verit., art. 5, ad 1. An vero de facto communicata sit hæc scientia animæ Christi, incertum est; placet tamen sentire et loqui cum communiore sententia, quæ etiam D. Thomæ est, præsertim infra, q. 13, art. 1, ad 2. Ratio vero non est quia hoc sit impossibile (ut dixi), sed quia non est necessarium, neque est ullum sufficiens fundamentum ad id asserendum; et quia non oportet plura scire per scientiam inferiorem quam per superiorem. Ac denique, quia non omne id, quod non videtur apertam contradictionem implicare, statim tribuendum est animæ Christi, præsertim in his rebus quæ neque ad majorem perfectionem, nec sanctitatem multum conferunt.

SECTIO V.

Utrum Deus, ut trinus et unus, cadat sub objectum hujus scientiæ.

1. Dictum est de creaturis, superest ut breviter de Deo ipso dicamus, de quo D. Thomas hic inquit, Christum per hanc scientiam omnia cognovisse, præter Dei essentiam; eodem

fere modo loquitur Duran., in 3, d. 14, q. 3, n. 6.

2. Dico tamen primo, animam Christi per hanc scientiam cognovisse Deum quoad unitatem ejus, et omnia attributa essentialia, solum *scientia quia*, seu a posteriori, quatenus per creaturas cognosci possunt. Hæc conclusio est certa, et a nemine negari potest, quia per effectus Dei cognoscitur ipse Deus, tanto perfectius quanto et effectus perfectiores sunt, et melius cognoscuntur et comprehenduntur; sed Christus per hanc scientiam optime cognovit perfectissimos effectus Dei; ergo. Et confirmatur, nam Angeli cognoscunt Deum unum et attributa ejus per scientiam inditam, et per effectus; ergo multo magis anima Christi per hanc scientiam. In quo est differentia notanda inter Christum et Angelos; Deus enim considerari potest ut auctor naturæ et gratiæ, et ut finis naturalis vel supernaturalis; priori modo manifestatur per naturales effectus, et ita cognoscitur ab Angelis per scientiam inditam et connaturalem; posteriori vero modo cognosci potest per effectus supernaturales, quos Angeli per illam scientiam attingere non possunt; anima vero Christi sub utraque ratione eum cognoscit per hanc scientiam, quia lumen illius est superioris ordinis, quo non tantum naturales, sed etiam supernaturales effectus intuetur, ut ostensum est. Unde fit cognitionem Dei, quam Christus habuit per hanc scientiam, esse sufficientem ad amandum Deum amore infuso et supernaturali, quia ejus cognitio simpliciter est ordinis divini et supernaturalis. Et juxta hanc conclusionem exponendus est D. Thomas hic; negat enim cognosci Dei essentiam per hanc scientiam, quia non quidditative cognoscitur; cognitionem enim imperfectam, et a posteriori, negare non potuit, et eandem confitetur Durand. supra, citato loco.

3. *Trinitas objectum scientiæ infusæ Christi.* — Dico secundo: verisimilius est etiam cognoscere animam Christi per hanc scientiam mysterium Trinitatis, quantum ad *an est*, magis tamen distincte et expresse, quam per fidem cognoscatur. Probatur primo, quia inconveniens est dicere, cognitionem Dei, quam Christus extra Verbum, ut viator, habuit, fuisse minus perfectam, saltem ex parte objecti, et quoad ea quæ de Deo cognovit, quam sit nostra fides. Secundo, quia alias sequitur aperte, Christum, ut viatorem, non potuisse orare ad Patrem, quantum erat ex vi hujus

scientiæ, quia ut sic non cognoscebat illum; et eadem ratione sequitur non potuisse amare distincte tres personas divinas, ac denique sequitur non potuisse loqui de mysterio Trinitatis, nisi utendo scientia beata, cum tamen eodem modo de hoc mysterio fuerit locutus, sicut de futuris contingentibus, et cogitationibus cordium. Tandem non est impossibile cognoscere hoc mysterium per hanc scientiam, ut late in genere disputant Doctores, in Prolog. lib. 1 Sentent., præsertim Dionys. Carth.; attingit etiam Cajet., 2, q. 171, art. 5; Dur., d. 23, et hanc conclusionem tenet Cajet. hic, et alii Thomistæ.

4. Sed difficultas est in explicando modo quo potuit anima Christi cognoscere Trinitatem per hanc scientiam; debuit enim illa cognitio esse evidens et clara, alias fuisset cognitio fidei; et non potest esse cognitio intuitiva, ut constat, quia hæc est visio beata; neque etiam videtur posse esse abstractiva, quia neque per causam, quia Trinitas nullam habet; neque per effectum, quia nullus effectus procedit a Deo, ut trinus est.

5. Primus modus dicendi esse potest, cognosci hanc veritatem, *Deus est trinus et unus*, solum ex vi luminis et alicujus speciei, quibus evidenter ostendatur id esse verum per modum simplicis cognitionis, qua cognoscatur veritas, licet non videatur res ipsa in se. Hic modus dici quidem potest, et fortasse non potest ita impugnari, ut protervus aliquis convineatur; fateor tamen me non posse concipere quo modo id fiat, quia non potest aliqua veritas cognosci ab intellectu evidenter, nisi vel per aliquod medium, vel per tam evidentem cognitionem extremorum, ut ex vi illius simul cognoscat connexionem extremorum; hæc autem cognitio sic explicata non fit per medium aliquod, ut constat (loquor enim de medio cognito, non de ratione cognoscendi, qualis est species intelligibilis), neque per illam ita cognoscitur Deus, et Trinitas in se, ut quidditative et clare cognoscatur, prout in se est; hoc enim pertinet ad visionem beatam, quia cognitio quidditativa Dei non potest esse nisi intuitiva, quia ipsum existere est de quidditate Dei, et est per seipsum præsens intellectui; et ideo fieri non potest ut videatur, prout in se est actu existens, et non intuitive; et eadem ratione non potest illo simplici modo cognosci evidenter hæc veritas, et tamen cognosci abstractivè. Confirmatur et explicatur exemplo, quia non potest intelligi ut aliquis habeat evidens judi-

cium abstractivum de numero stellarum, nisi per aliquod medium; quomodo enim concipi potest, ut aliquis evidenter judicet, astra esse paria, non videndo ipsa in se ipsis, neque utendo aliquo medio ad illud judicium ferendum?

6. Secundus modus dicendi esse potest animam Christi cognoscere hoc mysterium per aliquos effectus. Sed hic rejicitur ab omnibus Theologis, ut tractatur 1 p., q. 32, quia opera Trinitatis ad extra sunt indivisa; unde procedunt a Deo ut unus est, et Trinitas personarum, quoad illos efficiendos, se habet quasi per se accidens. Dices: relatio creaturæ respicit creatorem ut sic; ergo Deum, ut subsistentem cum potestate creandi; sed non subsistit nisi in tribus personis; ergo respicit tres personas; ergo comprehensa hac relatione, tres personæ cognoscuntur. Respondetur facile, primo Deum non subsistere tantum per relationes, sed etiam per suam essentiam, ut supra ostensum est. Deinde, esto subsisteret per solas relationes, tamen relatio creaturæ non terminatur formaliter ad relationes, nisi ut unum sunt in essentia, potentia et actione creandi, et, si velis, etiam ut in ratione subsistendi conveniunt, non vero ut plures sunt. Adde, relationem nunquam esse medium ad cognoscendum terminum, sed potius supponere cognitionem sui termini, ut ipsa cognosci possit. Sed de hac materia latius in proprio loco dicendum est. Solum de duobus potest esse difficultas, scilicet de visione beata, et de modo unionis qui est in humana Christi natura, quæ diximus per hanc scientiam cognosci ab anima Christi; visio enim terminatur ad personas, et repræsentat illas, et similiter unio terminatur ad Verbum; ergo per hos effectus cognosci possunt proprietates personales. Non desunt, qui verisimile existiment, non solum ex his, sed ex omnibus supernaturalibus effectibus, gratia, charitate, et similibus clare cognitis, posse Trinitatem cognosci; sed existimo hanc sententiam falsam esse, et eodem modo posse prædicta ratione convinci, nisi loquatur de cognitione quæ ad evidentiam testificantis revocatur, ut jam explicabo. Dicendum est ergo visionem beatam per se primo terminari ad Deum, ut sic, et et consequenter ad personas, et ita, cognita ipsa visione, solum cognosci illam esse visionem Dei, prout in se est, non tamen cognosci quomodo Deus in se ipso sit et videatur, præsertim quia dictum est, illam visionem non perfecte comprehendi extra visionem Dei. Et

idem dicendum est de modo unionis; nam, licet in re terminetur ad solam personam Verbi, tamen, quantum est ex ratione sua, solum requirit terminum qui sit subsistentia incommunicabilis; et ita ex vi cognitionis illius unionis solum confuse cognoscitur esse in Deo subsistentia quæ possit terminare illam unionem, non tamen videtur qualis sit in se, neque an sit relativa vel absoluta.

7. Tertius ergo modus est, hanc cognitionem esse evidentem in testificante ex vi proprii luminis et revelationis supernaturalis, sicut diximus de futuris contingentibus. Et ad illum possunt applicari quæ ibi dicta sunt. Dupliciter vero intelligi potest hæc evidentia, primo, quasi indirecte, et per revelationes aliis factas; anima enim Christi per hanc scientiam evidenter intuetur actum fidei, quo viator aliquis credit hoc mysterium; ergo evidenter videt illum actum esse infallibilem, et fundatum in revelatione facta ab ipso Deo; et consequenter videt objectum illius verum esse; quæ evidentia licet procedat ex cognitione alicujus effectus supernaturalis, tamen quia ille effectus supponit testimonium Dei, et ab illo sumit suam rationem et essentiam, ideo tota hæc evidentia ultimo ad testificantem revocatur. Secundo intelligi potest hæc evidentia per revelationem propriam, factam ipsi animæ Christi. Nam per species infusas concipere potest Deum trinum et unum, imperfecto quidem modo, si cum re ipsa conferatur, perfectiori tamen quam possit per naturales vires alicujus intellectus creati concipi; quam conceptionem seu Dei locutionem distincte et evidenter intuetur, et ita evidenter videt esse a solo Deo, quæ cognitio non excludit altiorem cognitionem per visionem claræ; quia, licet aliqua res in se videatur, potest simul videri in imagine, et uterque modus perfectionem aliquam affert; et ideo utrumque habuit anima Christi, ut dictum est.

ARTICULUS II.

*Utrum Christus hac scientia uti potuerit, non convertendo se ad phantasmata*¹.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod anima Christi non potuerit intelligere secundum hanc scientiam, nisi convertendo se

¹ Infra, art. 4, fi., et q. 34, art. 2, ad 3; et 3, dist. 1, q. 1, art. 2, et d. 14, art. 3, q. 2, et 3, c.; et Veri., q. 20, art. 3, ad 1.

ad phantasmata. Quia, ut dicitur in tertio de Anima, phantasmata comparantur ad animam intellectivam humanam, sicut colores ad visum. Sed potentia visiva Christi non potuit exire in actum, nisi convertendo se ad colores. Ergo etiam neque anima intellectiva ejus potuit aliquid intelligere, nisi convertendo se ad phantasmata.

2. Præterea, anima Christi est ejusdem naturæ cum animabus nostris; alioquin ipse non esset ejusdem speciei nobiscum, contra id quod Apostolus dicit, Philip. 2, quod est in similitudinem hominum factus. Sed anima nostra non potest intelligere nisi convertendo se ad phantasmata. Ergo etiam neque anima Christi.

3. Præterea, sensus dati sunt homini ut deserviant intellectui. Si igitur anima Christi intelligere potuit absque conversione ad phantasmata, quæ per sensus accipiuntur, sequeretur quod sensus frustra fuissent in anima Christi, quod est inconveniens. Videtur igitur quod anima Christi non potuerit intelligere, nisi convertendo se ad phantasmata.

Sed contra est quod anima Christi cognovit quædam, quæ per phantasmata cognosci non possunt, scilicet substantias separatas. Potuit igitur intelligere, non convertendo se ad phantasmata.

Respondeo dicendum, quod Christus, in statu ante passionem, fuit simul viator et comprehensor, ut infra magis patebit¹. Et præcipue quidem conditiones viatoris habuit ex parte corporis, in quantum fuit passibile; conditiones vero comprehensoris maxime habuit ex parte animæ intellectivæ. Est autem hæc conditio animæ comprehensoris, ut nullo modo subdatur suo corpori, aut ab eo dependeat, sed totaliter ei dominetur. Unde et post resurrectionem, ex anima redundabit gloria ad corpus. Ex hoc autem anima hominis viatoris indiget ad phantasmata converti, quod est corpori obligata, et quodammodo subjecta, et ab eo dependens. Et ideo animæ beatæ, et ante resurrectionem, et post, intelligere possunt absque conversione ad phantasmata. Et hoc etiam oportet dicere de anima Christi, quæ plene habuit facultatem comprehensoris.

Ad primum ergo dicendum, quod similitudo illa, quam Philosophus ponit, non attenditur quantum ad omnia. Manifestum est enim quod finis potentie visivæ est cognoscere colores, finis autem potentie intellectivæ non est cognoscere phantasmata, sed cognoscere species in-

¹ Q. 15, art. 10.

telligibiles, quas apprehendit a phantasmatibus et in phantasmatibus, secundum statum præsentis vitæ. Est igitur similitudo, quantum ad hoc ad quod aspicit utraque potentia, non autem quantum ad hoc in quod utriusque potentie conditio terminatur. Nihil autem prohibet, secundum diversos status, ex diversis rem aliquam ad suum finem tendere; finis tamen proprius alicujus rei semper est unus. Et ideo, licet visus nihil cognoscat absque colore, intellectus tamen secundum aliquem statum potest cognoscere absque phantasmate, sed non absque specie intelligibili.

Ad secundum dicendum, quod, licet anima Christi fuerit ejusdem naturæ cum animabus nostris, habuit tamen aliquem statum, quem animæ nostræ non habent nunc in re, sed solum in spe, scilicet statum comprehensoris.

Ad tertium dicendum, quod, licet anima Christi potuerit intelligere, non convertendo se ad phantasmata, poterat tamen intelligere, se ad phantasmata convertendo. Et ideo sensus non fuerunt frustra in ipsa, præsertim cum sensus non dentur homini solum ad scientiam intellectivam, sed etiam ad necessitatem vitæ animalis.

COMMENTARIUS.

Expositio hujus articuli ex libris de anima supponenda est, nihil enim aliud est converti ad phantasmata, quam quod Aristoteles dixit, necessarium esse intelligentem phantasmata speculari. Et hanc necessitatem negat D. Thom. habuisse animam Christi in usu hujus scientiæ, etiam dum erat in corpore mortali, quia tunc etiam erat beata; et ideo non erat subdita corpori in actionibus mentis. Addit vero D. Thomas, in solutione ad tertium, potuisse animam Christi in usu hujus scientiæ converti ad phantasmata, quod infra in disputatione explicabitur.

ARTICULUS III.

*Utrum hæc scientia fuerit collativa*¹.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod anima Christi hanc scientiam non habuerit per modum collationis. Dicit enim Damasc., in 3 lib. 2: In Christo non dicimus consilium, neque

¹ 3, d. 14, art. 3, q. 3, et Veri., q. 20, art. 3, ad 1.

² Cap. 14, non procul a fin., et lib. 2, cap. 22.

electionem. Non autem removentur hæc a Christo, nisi in quantum important collationem et discursum. Ergo videtur quod in Christo non fuerit scientia collativa vel discursiva.

2. Præterea, homo indiget collatione et discursu rationis, ad inquirenda ea quæ ignorat. Sed anima Christi cognovit omnia, ut supra dictum est¹. Non ergo in ea fuit scientia discursiva, vel collativa.

3. Præterea, scientia animæ Christi se habuit per modum comprehensorum, qui Angelis conformantur, ut dicitur Matth. 22. Sed in Angelis non est scientia discursiva seu collativa, ut patet per Dionys., 7 cap. de Divinis nominibus². Ergo nec etiam in anima Christi fuit scientia discursiva seu collativa.

Sed contra est, quod Christus habuit animam rationalem, ut supra dictum est³. Propria autem operatio animæ rationalis est conferre et discurre de uno in aliud. Ergo in Christo fuit scientia discursiva vel collativa.

Respondeo dicendum, quod aliqua scientia potest esse discursiva vel collativa dupliciter. Uno modo quantum ad scientiæ acquisitionem, sicut accidit in nobis, qui procedimus ad cognoscendum unum per aliud, sicut effectus per causam, vel e converso. Et hoc modo scientia animæ Christi non fuit discursiva vel collativa, quia hæc scientia, de qua nunc loquimur, fuit sibi divinitus iudata, non per investigationem rationis acquisita. Alio modo potest dici aliqua scientia discursiva vel collativa, quantum ad usum; sicut interdum scientes, ex causis concludunt effectus, non ut de novo addiscant, sed volentes uti scientia quam jam habent. Et hoc modo scientia animæ Christi poterat esse collativa et discursiva; poterat enim ex uno aliud concludere, sicut sibi placebat. Sicut Matth. 17, cum Dominus quæsiisset a Petro, a quibus reges terræ tributum acciperent, a filiis suis, an ab alienis, Petro respondente, quod ab alienis, conclusit: Ergo liberi sunt filii.

Ad primum ergo dicendum, quod a Christo excluditur consilium, quod est cum dubitatione, et per consequens electio, quæ in sui ratione tale consilium includit. Non autem a Christo excluditur usus consiliandi.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de discursu et collatione, prout ordinatur ad scientiam acquirendam.

Ad tertium dicendum, quod beati confor-

¹ Quæst. præced., art. 2.

² Inter princ. et med.

³ Q. 3, art. 3.